AUTHOR:

DITTENBERGER, WILHELM

TITLE:

COMMENTATIO DE INSCRIPTIONE...

PLACE:

HALIS

DATE:

1892

Master Negative #

93-81335-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Dittenberger, [~~Karl Friedrich~~] Wilhelm. 1840- 1906
Commentatio de inscriptione Thisbensi ad emphyteuseos jus spectante.
Halis 1892. Sq.Q. 14p.

Halle (Ger.) universität. Index scholarum.

94334 No. 6 of a v. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-28-93 INITIALS JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLXXXXI — MDCCCLXXXXII

A DIE XV. M. OCTOBRIS MDCCCLXXXXI AD DIEM XV. M. MARTII MDCCCLXXXXII

PUBLICE PRIVATIMQUE

HABENDARUM.

INEST

GUILELMI DITTENBERGERI
COMMENTATIO DE INSCRIPTIONE THISBENSI AD EMPHYTEUSEOS IUS SPECTANTE.

HALIS
FORMIS GEBAUERO-SCHWETSCHKEIANIS.

UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

RECTOR

GREGORIUS KRAUS

CUM SENATU

S. D.

CIVIBUS SUIS.

Quam varia sit ac multiplex fortuna monumentorum veterum, quae ex ingenti antiquitatis Graecae Romanaeque ruina ad hanc aetatem pervenerunt, in volgus notum est. Etenim non modo crebro usu venit, ut lapides sculpti aut inscripti arctissima originis argumentique necessitudine conexi fortunae invidia divellerentur atque in remotissimas inter se orbis terrarum partes deicerentur, aut ut ex monumentis plane gemellis quum alterum iam aliquot abhinc saecula in lucem protractum multorum hominum doctorum mentes exercuisset, alterum hac demum memoria e gremio terrae emergeret; sed adeo eiusdem lapidis frustula haud raro diversos plane casus experta sunt. Qua in re fieri potest, ut ex eis quae separatim nullam fere utilitatem attulerint antiquitatis doctrinae, perspecta originis communione iam monumentum haud exiguae dignitatis recuperetur. Neque vero mirum est, in earum certe regionum monumentis, quarum tituli nondum in unum corpus congesti atque ex artis legibus dispositi et suppleti sint, vel doctissimorum hominum aciem ac diligentiam eiusmodi rem nonnunquam fallere. Quod propterea moneo, ne quis suspicetur me vitio vertere velle editoribus tituli pretiosissimi ab ipsis inventi, quod fragmentum aliud idque gravissimum eiusdem tabulae iampridem typis expressum eos fugerit. Etenim F. B. Tarbell et J. C. Rolfe cum diligentissime perscrutarentur parietinas ecclesiae S. Trinitatis sitae in solo veteris Thisbensium oppidi prope vicum hodiernum *Kakosi*, lapidis calcarii fragmenta quattuor ex muris extraxerunt litterasque illis inscriptas publici iuris fecerunt in diario archaeologico Americano (*The American journal of archeology* 1890 p. 114 n. VI). Quibus ex frustulis tria quidem (*B C D*) nova erant, quartum (*A*) iam a Pittaki Eph. arch. 3061 et A. Velseno *Archäologischer Anzeiger*

1856 p. 288 n. XVII*) expressum esse non ignorabant editores. Quare huius quidem partis cum nullum confecissent ectypum chartaceum, satis habuerunt Velseni apographum repraesentasse paucis locis emendatum ex Tarbelli collatione satis festinanter, ut ipsi fatentur, instituta. Mihi vero praesto fuit H. G. Lollingii exemplum solita sollertia diligentiaque confectum, quod expressi Inscr. Graec. Sept. 2226. In hoc sane aliquanto plura dispiciuntur quam apud Pittakin, Velsenum, Tarbellium. Sed multo maioris momenti est, quod adiungere possum quintum fragmentum a L. Rossio die 17 m. Iulii a. 1833 exscriptum 'Thisbae in pariete ecclesiae cuiusdam', quae sine dubio eadem illa S. Trinitatis fuit, et editum a K. Keilio *Zur Sylloge Inscriptionum Boeoticarum* p. 604 nonnullis additis animadversionibus. Lollingius hunc quidem lapidem frustra quaesivit, neque quisquam ex omnibus qui post Rossium Thisbas venerunt eum vidit, ita ut paene certum sit, eum iam abhinc saeculum dimidiatum illo funesto monumentis Graecis fornace calcario haustum esse. Itaque necessario Rossii exemplum repetivi cum hoc fragmentum ederem Inscr. Gr. Sept. 2227, ubi simul docui eiusdem lapidis esse ac n. 2226, id quod iam luculentissime confirmatum est tribus aliis frustulis a Tarbello et Rolfio in lucem protractis. Qui quod fragmentum Rossianum ignoraverunt, eo potissimum nomine in totius tabulae argumento et conexu explorando maximum incommodum eis attulit, quia *A B C D* quidem nusquam contingunt inter se, at quintum illud *E* cum *B* adeo accurate coniungitur, ut per maximum versuum numerum nusquam plus quam quattuor litterarum inter utrumque in medio lapide iactura facta sit. Sinistrum locum tenet *E*, cuius plerique versus ab initio integri sunt, dextrum *B*, ubi in extremo margine alibi quinae, alibi paullo plures litterae perierunt, sed ita tamen, ut de latitudine lapidis deque litterarum quibus singuli versus constabant numero ubique certissima ratio iniri possit. Quae res quanti momenti sit etiam in reliquorum trium fragmentorum supplementis recte instituendis et aestimandis, non est quod dicam.

Iam priusquam ad argumentum enarrandum pergam, ipsa tituli verba ascribere e re erit. Ac fragmentum *A* quidem ex Lollingii, *B C D* ex Tarbellii et Rolfii, *E* ex Rossii exemplo me exhibere moneo. Litterae propter inopiam formarum non potuerunt ubique tales repraesentari, quales in lapide sunt. Accuratius inscriptionis exemplum edetur in addendis ad Corpus Inscriptionum Graeciae septentionalis.

A.

Μ̄ Ο Υ Λ Π Ι Ο C
ΟΒΟΥΛΟΜΕΝΟCΘΙCΒΑΙΩΝΧΩΡΙΟΝΛΗ....
....ΤΩΝΕΠΕΜΟΥΓΕΩΡΓΟΥΜΕΝΩΝ....
ΒΙΒΛΙΟΝΓΡΑΨΑΣΕΝΑΥΤΩΤ^ΠΟΝΤΕΟΝΒC..
ΙΙΑΥΤΟΝΥΠΕΡΕΚΑCΤΟΥΠΛΕΘΡΟΥ vac.
ΛΗCΗΕΚΚΛΗCΙΑCΚΑΤΑΤΟΛΕΛΟΓΜΕΝΟΝ
)ΝΚ////.ϵΙΙΙΕΝΤΙC
— ΤΗΙΕΚΚ
ΘΩΕΙC

*) Utriusque exemplum repetivit K. Keil *Zur Sylloge Inscriptionum Boeoticarum* p. 588. Sed hoc libello editores Americani non videntur usi esse; nam in eo etiam quintum fragmentum — alio sane loco, quia Keilius communem utriusque originem non perspexerat — reperire potuerant.

E.

ΥΙΙCΚΟΙΚΑΙΑ
ΟΙΝΑΙΓΡΑΦΕΤΩ.ΕΝΕ
ΑΙΤΗΝΠΟCΟΠΙΤΑΤΟΥΦΟΡΟΥ
ΕΤΕΑΡΧΟΥCΙΝΚΑΙΔΕΚΑΤ.
ΤΙΝΠΡΟCΟΔΟΝΤΗΝΕΙ
ΑΤΟΥΤΟ.ΙΟΥ ΤΕΛΕ
ΑΝΕCΙΝΤΟΥΦΟΡΟΥΤΩΝΠΡΩΤΩΝ
ΔΩCΕΙΤΟΝΦΟΡΟΝΤΟΝΕΤΗCΙΟΝΤΟ
ΛΛΛΛΚΟΜΕΝΑΙΟΥΤΙΠΕΝΤΕΚΑΙΔΕΚ
ΔΟΝΥΠΕΥΘΥΝΟΙΕCΟΝΤΑΙΩΝΟΥΚΕ
ΤΑΕΠΑCΜΗΟΥΤΕΥCΑΙΤΟΤΕΧΩΡΙΟΝ
CΤΡΑΤΗΓΟΙΑΙΟΝΥΠΕCΤΗΤΕΛΕCΕΙ
ΑC...ΕΙΔΕΦΥΤΕΥCΕΙΕΝΜΕΡΟCΩCC
ΦΟΡΟΝΜΗΠΡΑΤΤΕCΘΩΠΙΠΡΑCΚΕCΘΩ
ΤΕΥΜΕΝΟΝΕΠΙΤΩΤΗΝΜΕΝΤΕΙΜΗΝΤ
ΔΕΦΟΡΟΝΠΑΝΤΟCΤΕΛΕΙCΘΑΙΚΑΘΕΚΑCΤΟ
ΛΟΓΗCΕΝCΥΓΧΩΡΟΥΜΕΝΟΥ ΤΩ ΠΡΙΑ.
ΓΟΥΜΟΝΟΥ ΛΑΜΒΑΝΕΤΩΔΕ
ΕΙΜΕΝΤΟΙΤΙCΦΩΡΑΘΕΙΗΟΥΤΕΥCΑCΤ
ΟΜΕΝΩΤΩΝΠΟΛΕΙΤΩΝΕΠΙΤΩ
ΤΟCΟΥΤΟΝΟCΟΝΤ
ΙΝΠΑΡΑΤΟ

B.

ΚΛ
)ΝΚΑΙ
ΠΕΡΕΚΑ
ΩΝΠΕΝΤ
ΑΤΑΛΑΜΒΑΝΟΜ
ΙΟΙΛΕΜΗΠΡΑΞΑΝΤΕCC
ΑΞΑΝ ΕΙΔΕΤΙCΛΑΒΩΝ..ΤΟC
ΤΑΠΩΛΗCΟΥCΙΝΟΙΚΑΤΑΛΑΜΒΑΝ
ΓΟΝΠΡΑΞΟΥCΙΝΠΑΡΑΥΤΟΥΤΗCι
ΑΞΙΟΝΤΟΥΦΟΡΟΥΤΩΝΠΕΝΤΕΕΤ
ΤΟΧΩΡΙΟΝΠΟΛΕΙΤΗΚΑΙΤΟΑΡΓΟΝΚΑ
ΕΦΥΤΕΥΜΕΝΟΥΕΙCΚΟΜΙCΘΗΝΑΙΤΗΠΟΙ
ΕΝΙΑΥΤΟΝΟCΟΝΤΕΛΕCΘΙΗΚΑΙΟΠΡΟΤΕΡΟ
ΟΤΟΥΦΟΡΟΥΤΗCΠΕΝΤΑΕΤΙΑCΥΠΕΡ
ΤΗCΕΚΑCΤΟCΜΗΠΛΕΟΝΠΛΕΘΡC
ΤΟΙCΠΛΕΟΝΠΩΛΗCΟΥCΙΝ
ΚΑΙΘΚΤΟΥΤΟΥCΩΖΕCΘΑΙ‾
ΩΜΟΛΟΓΗCΕΝΥΠΕΡΕΚΑCΤΟ
ΕΝΤΟCΤΟΝΓΕΙΝΟΜΕ
ΞΛΤΟ *vac.*

C.

ΘΡΟΝΙ◡
ΑΜΕΝΟϹΚΑΙ
ΑΡΑΤΗϹΠΟΛΕ◡
ΙΩΚΑΙΤΑΛΛΑΛΚΑ
ΟΜΕΝΟΥΤΟΥΦΟΡΟΥ
ΕΙΤΗΔΑΝΕΙϹΤΗΩϹΚΑ
ΟϹΙΟΥΧΩΡΙΟΥΗΔ
ΗΜΟϹΙΟΥΚΑΘΗΜ
ΥΤΟ◡ΓΡΑΦΕΤΩ
ΝΤ..ΟΙΕΚΑ
ΠΟϹΟΝΗΟΤ
ΑΤΟϹΥ

D.

ΓΟΤΕΟΝ◡ΜΑ ◡
ΕΙΔΕΤΙϹΕΞΑΠΑΤΗϹΑ....ΟΦΕΙΛΟΝ
◡ΝΔΗΜΟϹΙΩΝΚΑΙΤΟΥΤΟΕΛΕΝΧΘΕΙΗΑΦΑΙΡΕ
ΗΠΟΛΙϹΟΔΕΔΑΝΕΙϹΤΗϹΟΞΕΝΟϹΕΚΤΩΝΑΛΛ
ΕΝΤΟϹΤΗΝΕΙϹΠΡΑΞΙΝΠΟΙΕΙϹΘΩΤΟΥΟΦΕΙΛΟΜΕ
ΑΙϹΚΑΤΑΛΙΠΟΙΞΕΝΩϹΥΝΓΕΝΕΙΗΦΙΛΩΤΟΥΤΩΝΤΙΤΩΝ
ΥΤΟΥΗΔΩΡΕΑΕϹΤΩΔΕΤΗϹΠΟΛΕΩϹΤΟΧΩΡΙΟΝ ΕΙΔ
ΘΗΚΑϹΤΕΛΕΥΤΗϹΑΙΩΜΗΕΙϹΙΝΝΟΜΙΜΟΙΚΛΗΡΟΝΟΜΟΙΗ
ΟΤΕΡΑΚΛΗΡΟΝΟΜΟϹΤΟΥΕΑΥΤΗϹΚΤΗΜ..ΟϹΗΠΟΛΙϹ

ΜΙΝΙΟϹΜΟΔΕϹΤΟϹ ΑΝΘΥΠΑΤΟϹ ΘΙϹΒ
ΤΗΒΟΥΛΗΚΑΙΤΩΔΗΜΩ ΧΑΙΡΕΙΝ ΙΚΑΝΟΝ
ΚΥΡΙΑΤΑΔΟΞΑΝΤΑΥΜΕΙΝΠΕΡΙΤΗϹΠΡΟΤΕ
ΓΕΓΕΝΗΜΕΝΗϹΚΑΙΤΟΤΟΥΑΞΙΟΛ
ΠΙΧΤΟΝΕΠΙΧΩΡΙΟΥΚΑΙ

Vides plura instrumenta in hac tabula incisa fuisse; duorum initia aetatem tulerunt (*A* v. 1. *D* v. 10), fortasse infra alterum etiam alia sequebantur. Cuius coniunctionis causa sine dubio fuit, quod omnia ad eandem Thisbensium civitatem spectabant (cf. *A* v. 2. *D* v. 10); num praeterea etiam ulla argumenti necessitudine conexa fuerint, in medio relinquendum est, quia ex proconsulis epistula (*D* v. 10—14) tam miserae laciniae servatae sunt, ut eius vis ac consilium definiri omnino nequeat; ac satis constat, a civitatibus nonnunquam litteras imperatorum et magistratuum varii argumenti in eisdem lapidibus coniunctim incisas esse (cf. Bull. de corr. Hellénique V (1881) p. 452. I. G. Sept. 2870). Quaecunque igitur de huius tituli natura et sententia explorari poterunt, ea omnia non spectabunt nisi ad illud quod primum in tabula locum tenebat edictum, cuius sunt omnes reliquiae superstites praeter quinque postremos fragmenti *D* versus. Edictum dico; nam cum ex *A* v. 2 (*τῶν ἐπ' ἐμοῦ γεωργουμένων*) haec ab uno certo homine pronuntiari appareat, proclivis quidem est suspicio, epistulam esse magistratus nescio cuius similem illius quae infra subiungitur multarumque aliarum

quae lapidibus incisae aetatem tulerunt. Verum enimvero latitudo lapidis, de qua ex fragmentis *B E* certam coniecturam fieri posse dixi, nullo modo epistulae formulam initialem *A* v. 1 reponi patitur, neque omnino ullum admittit supplementum praeter illud simplicissimum *M*(*ᾶρκος*) *Οὔλπιος* [........ *λέγει*]. At cuiusnam generis magistratus haec edixerit, definire neutiquam facile est. Etenim quia non totius provinciae, sed unius civitatis res his litteris tanguntur, ab ipsorum Thisbensium praetore eas propositas conieceris, praesertim cum huic opinioni etiam M. Ulpii nomina favere videantur, quippe quae in una ex nobilissimis illius oppidi familiis fuisse aliorum titulorum testimoniis constet.*) Sed cum haec argumenta lubrica esse facile perspiciatur, gravissimum eis obstat impedimentum, quod ipsum illud edicendi ius imperatorum quidem et magistratuum Romanorum fuisse constat, at eis qui in civitatibus Graecis municipales honores gerebant idem licuisse neque usquam commemoratur neque per se probabile est. Exstat sane titulus praetoris populi Megarensium I. G. Sept. 25 (Lebas-Foucart Inscr. II, 37. K. Keil Mus. Rhen. N. S. XIV (1859) p. 494) incipiens a verbis *Ἀγαθῇ τύχῃ.* [*Ὁ*] *στρατηγὸς τῆς λαμ*(*προτάτης*) [*Μεγ*]*αρέων πόλεως Μᾶρ*(*κος*) *Αὐρ*(*ήλιος*) [*Οὐῆ*]*ρος Εὐοδιανοῦ λέγει.* Sed verum edictum hoc non esse inde perspicitur, quod nihil hic praecipitur civibus, sed simpliciter certiores fiunt de munificentia, qua ille magistratus sedilia in curia suis impensis facienda curaverit. Talia publice proscribere vel privato licuisse non improbabile est ex Th. Mommseni sententia (*Römisches Staatsrecht* I p. 202 not. 2 ed. tertiae). At longe aliter hic res se habet, ubi leges proponuntur, ex quibus Thisbensium agri publici civibus locentur conserendi. Quare malo illum Marcum Ulpium proconsulem Achaiae intellegere, etsi huiusmodi edicti proconsularis imperatorum aetate propositi nullum quod sciam praeterea notum est exemplum.

Haec sufficiant de harum litterarum forma et auctore; pergo iam ad aetatem definiendam. Qua in re certissimus utrimque terminus stabilitur M. Ulpii nominibus, quae neque ante Traiani principatum (98—117 p. Chr.) neque post medium saeculum p. Chr. tertium, qua aetate praenomina usurpari desita sunt, hanc tabulam erectam statuere patiuntur. Sed paullo accuratiori temporis descriptioni ansam praebet iterata diphthongi *αι* pro *ε* usurpatio in nominibus *Θισβαίων* (*A* v. 2) et *Ἀλαλκομεναίου* (*E* v. 9). Utriusque nominis singularem scripturam notavit Keilius, Zur Sylloge Inscr. Boeot. p. 588. 605, sed ni plane fallor de neutra ob omni parte recte iudicavit, cum sibi persuaderet re vera Thisbarum incolas *Θισβαίους*, mensem illum Boeoticum vero *Ἀλαλκομέναιον* vocatum esse. Nam neutrius rei quemquam habet testem praeter Stephanum Byzantium s. v. *Θίσβη· — ὁ πολίτης Θισβαῖος. — Ἰσμηνίας δὲ ὁ αὐλητὴς Θισβεὺς ἐχρημάτιζε, καὶ ὁ Ἐρετριέων αὐλητὴς Θισβεύς*, et s. v. *Ἀλαλκομένιον· — τοῦ δ' Ἀλαλκομεναὶ* (sc. *τὸ ἐθνικὸν*) *Ἀλαλκομεναῖος.* Sed ut mittam quaerere, quo iure Keilius dicat quae a Stephano de ethnico tradantur etiam ad mensis nomen referri licere, inprimis tenendum est, nullam in ethnicorum formandorum praeceptis Stephano soli fidem habendam esse, titulos vero omnium aetatum unam *Θισβεύς* formam novisse (I. G. Sept. 2223. 2224. 2225. 2239. 2724*b*. 2724*c*. 2870). Quod quoniam imperatorum Romanorum aetate,

*) *M. Οὔλπιος Βραχᾶς Ἐπιφανιανός, Οὔλπιος Δημοσθένης, Οὔλπιος Κράτων, Οὐλπία Εὐπορία, Οὐλπία Βρόχιλλα* I. G. Sept. 2237 (C. I. G. 1613). *M. Οὔλπιος Βραχᾶς, M. Οὔλπιος Δημοσθένης* I. G. S. 2241 (v. Velsen, Archaeol. Anzeiger 1856 p. 285* n. III). *Οὔλπιος Νικίας βοιωτάρχης, M. Οὔλπιος Παράμονος, M. Οὔλπιος Βραχᾶς Παραμονιανός, Οὔλπιος Βραχᾶς, Οὐλπία Παῦλα, Οὐλπία Ὑγεῖα* I. G. Sept. 2242 (C. I. G. 1626). *M. Οὔλπιος Παράμονος νεώτερος* I. G. Sept. 2365 (ined.). Quod contra in reliquarum civitatium Boeoticarum titulis vix unum reperitur Ulpii nominis exemplum.

cuius haec tabula utique est, *αι* et *ε* perinde haberi coepta sunt, nihil dubii si quid video relinquitur, quin *Θισβαίων* non a *Θισβαῖος* derivetur, sed perperam pro *Θισβέων* scriptum sit. Paullo alia, sed simillima tamen, alterius nominis ratio est. Quod cum in omnibus Oropiorum titulis, qui etiam cum Boeotico foederi intererant Attico sermone uti numquam desierunt, *Ἀλαλκομένειος* scribatur per diphthongum (I. G. Sept. 263. 299. 316. 322. 335. 344. 358. 359. 378)*), manifestum est in Boeotica *Ἀλαλκομένιος* scriptura (I. G. Sept. 504. 506. 508. 512. 518. 520. 3171. 3172. 3350) vocalem syllabae paenultimae producendam esse secundum dialecti leges ex diphthongo natam. Iam *-ειος* et *-εος* et in sermone Attico et in volgari recentioris aetatis consuetudine quotiens confusa sint, non est quod dicam. Pro *Ἀλαλκομένεος* vero *Ἀλαλκομέναιος* exaratum est eodem errore, quo in titulis Atticis *Ἐρικαιεύς*, *Τρινεμαιεύς* et vice versa *Φηγεεύς*, *Βησεεύς* scribi solent. At ille iteratus in eodem monumento publico in his potissimum vocalibus error ni fallor in Traiani aut Hadriani aetatem nondum cadit, contra si sub finem alterius aut initio tertii p. Chr. saeculi haec incisa statuas, nihil habet quod mireris.

Quae adhuc disputavi etsi non videntur inutilia esse, tamen multo maioris momenti est edicti huius argumentum ad quod enarrandum iam transeo. Quam rem ita commodissime administrare mihi videor, ut primum singula fragmenta quantum eius fieri poterit supplere atque interpretari aggrediar, deinde vero quae ex eis de toto hoc negotio cognosci poterunt, colligam et cum reliquis quae de eiusmodi locationibus tradita sunt componam.

A v. 1—6: *Μ(ᾶρκος) Οὔλπιος |.........λέγει·] | Ὁ βουλόμενος Θισβ[έ]ων χωρίον δη[μόσιον τῆς πόλεως........φυ|τεῦσαι] τῶν ἐπ' ἐμοῦ γεωργουμένων [παραδότω τοῖς στρατηγοῖς.......] | βιβλίον, γράψας ἐν αὐτῷ τόπον τε ὃν βο[ύλεται λαβεῖν καὶ φόρον ὃν δώσει κατ' | ἐν]ιαυτὸν ὑπὲρ ἑκάστου πλέθρου [..............................| βου]λῆς ἢ ἐκκλησίας κατὰ τὸ δεδογμένον.* Reliquorum versuum paucae modo agnoscuntur reliquiae (v. 7 ...*ω]ν· κ[αὶ] εἰ [μ]έν τις*... v. 8: *τῇ ἐκκ[λησίᾳ]*. v. 9: *[....σ]θω εἰς.....*).

Supplementa mea sunt, quorum pleraque nulla egere videntur explicatione aut defensione. Quod v. 2 extr. 3 init. *φυτεῦσαι* vocabulum reposui, id feci cum propter totum argumentum fragmentorum *E B*, tum quia recte et accurate inter se opponuntur *φυτεύειν* (arbores aut vites serere) et *γεωργεῖν* (arare)**). Atqui mutationem aliquam in ratione, qua Thisbensium civitas suos agros publicos fruendos locat, hic indicari manifestum est. Verba quidem ipsa per se nihil nisi culturae genus diversum significant; sed tamen hoc discrimen necessario longe diversas locationis conductionis leges flagitabat, de quibus in reliquorum fragmentorum enarratione videbimus. Vs. 4 *τοῖς στρατηγοῖς* supplevi ex fragm. *E* v. 12.

Venio nunc ad eam tabulae partem (*E B*), quae omnium plenissime et certissime restitui potest***). Initio sane (v. 1—5) conexio sermonis et argumenti ratio obscura sunt, cum verba quaedam et dicendi formulae facile legantur, ut v. 2 *γραφέ[τ]ω [δ]' ἐν ε*... v. 3 *κ]αὶ τὴν ποσό[τη]τα τοῦ φόρου*. v. 4 *[τοῖς] τε ἄρχουσιν καὶ δεκατ[ευταῖς] κα[ὶ....]*. vs. 5 *τ[ὴ]ν πρόσοδον τὴν ἐ[κ τούτ]ων καὶ....* Sed inde a versu sexto perspicuum est haec scripta fuisse:

*) Idem in manumissionum tabulas Chaeronenses volgari dialecto exaratas I. G. Sept. 3327. 3332. 3359. 3363 cadit; quibus adde n. 3323. 3324, ubi *Ἀλαλκομενήου* incisum est frequentissima per illa saecula vocalium confusione.

**) Nomina utrumque rei rusticae genus significantia *φυταλιῆς καὶ ἀρούρης* iam apud Homerum (*Z*, 195. *M*, 314. *Y*, 185) componi solere nemo fere ignorat. Idem sibi vult *γῆς ψιλῆς* et *πεφυτευμένης* discrimen, in quo *ψιλὴν* cave incultam intellexeris.

***) Singulae leges sive paragraphos dicere mavis, in lapide aliquot litterarum spatio vacuo relicto indicantur; in exemplo minusculis litteris expresso signo § usus sum.

[λήψε]τ[αι] δὲ [ὑ]πὲρ ἑκά[στου χωρίου ὁ καταλαβὼν] | ἄνεσιν τοῦ φόρου τῶν πρώτων [ἐτ]ῶν πέν[τε· ἔπειτα δὲ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν] | δώσει τὸν φόρον τὸν ἐτήσιον το[ῦ κ]αταλαμβανομ[ένου χωρίου τοῦ μηνὸς τοῦ] | Ἀλαλκομεν[έ]ου τ[ῇ] πεντεκαιδεκ[άτῃ]· οἱ δὲ μὴ πράξαντες σ[τρατηγοὶ τὴν πρόσο]|δον ὑπεύθυνοι ἔσονται ὧν οὐκ ἔ[πρ]αξαν. § εἰ δέ τις λαβὼν [ἐν]τὸς [τῆς πεν]ταε[τί]ας μὴ [φ]υτεύσαι, τό τε χωρίον [με]ταπωλήσουσιν οἱ καταλαμβάν[οντες] | στρατηγοί, (κ)αὶ ὃν ὑπέστη τελέσει[ν φόρ]ον πράξουσιν παρ' αὐτοῦ τῆς [πενταετί]|ας. § εἰ δὲ φυτεύσει ἓν μέρος, ὡς ε[ἶναι] ἄξιον τοῦ φόρου τῶν πέντε ἐτ[ῶν, τὸν μὲν] | φόρον μὴ πραττέσθω, πιπρασκέσθω [δὲ] τὸ χωρίον πολείτῃ, καὶ τὸ ἀργὸν κα[ὶ τὸ πεφυ]|τευμένον, ἐπὶ τῷ τὴν μὲν τειμὴν τ[οῦ π]εφυτευμένου εἰσκομισθῆναι τῇ πόλ[ει, τὸν] | δὲ φόρον παντὸς τελεῖσθαι καθ' ἕκαστο[ν] ἐνιαυτὸν ὅσον τελέσ[ε]ι[ν] καὶ ὁ πρότερο[ς ὡμο]|λόγησεν, συγχωρουμένου τῷ πριαμ[ένῳ] τοῦ φόρου τῆς πενταετίας ὑπὲρ [τοῦ ἀρ]|γοῦ μόνου. § λαμβανέτω δὲ [ὁ πολεί]της ἕκαστος μὴ πλέον πλέθρω[ν........·] | εἰ μέντοι τις φωραθείη [φ]υτεύσας τ[οσού]τοις) πλέον, πωλήσουσιν [οἱ στρατηγοὶ | τῷ βουλ]ομένῳ τῶν πολειτῶν ἐπὶ τῷ καὶ [ἐ]κ τούτου σώζεσθαι [τῇ πόλει |..... φόρον] τοσοῦτον ὅσον τ[ελέσειν] ὡμολόγησεν ὑπὲρ ἑκάστο[υ πλέθρου. | ἢν δὲ μηδεὶς βούληται πρίασθαι, πράξου]σιν παρὰ το[ῦ πρώτου λαβό]ντος τὸν γεινόμε[νον φόρον | ὅσον ὑπὲρ ἑκάστου πλέθρου τελέσειν ὑπεδέ]ξατο.**)*

Locantur igitur hic singuli fundi arboribus et vitibus conserendi pretio quotannis pendendo, ea quidem condicione, ut post primum quinquennium iam totus ager, quem quis conduxit, consitus esse debeat. Haec lex in eis quae ante hoc fragmentum perierunt scripta fuerit necesse est; nam inde a versu decimo definitur, quid fiat si quis ei non paruerit. Iam quia per primos quinque annos labores et impensae conserendi tolerandae sunt conductori sine ullo fructu, huius quinquennii vectigal ei remittitur (v. 6. 7). At si id quod debuit facere neglexit, non modo expellitur agro occupato, sed quinquennii pretium ab eo exigitur (v. 10—13) non iniuria, siquidem aliter respublica iacturam faceret, quippe quae in fundo nondum consito iterum alteri civi locando necessario huic insequentis quinquennii immunitatem concedere debet; quare nisi ab illo prioris lustri vectigal repeteret, decem, non quinque annorum reditibus ei carendum esset illius culpa. Non minus perspicuae sunt leges de eo conscriptae, qui partem modo agri conducti consevisset (v. 13—18). Quare neque has neque quae v. 18—23 leguntur de modo, quem nemo in agris publicis occupandis excedere debeat, explicatione egere existimo. Id unum monuerim, me non ignorare postremi enuntiati (v. 22. 23) supplementa incerta esse, sed ita tamen, ut summam sententiae recte adumbravisse mihi videar. Denique iam hic attendendum est ad eam normam, quae etiam in reliquis fragmentis (*C* v. 6. *D* v. 4. 6) ubique tenetur, ut nemini agrum publicum conserendum conducere liceat nisi civi Thisbensi.***)

*) Dativi usus plane singularis; nam si dativum mensurae intellegas 'tot plethris, quot occupare licet, plus' i. e. alterum tantum, et dicendi genus mire contortum esset pro simplici *τοσοῦτον ἕτερον*, et ipsum praeceptum ineptum; nam apparet unicuique qui plus quam liceret occupasset, hic poenam proponendam fuisse. Quare dativus memorabili sane soloecismo pro genetivo comparationis usurpatus videtur.

**) Quum coniunctis demum duabus partibus enuntiatorum conformatio et sententiarum conexio perspici posset, pleraque ipse supplevi; sed aliquot vocabula mutila iam a Keilio in *E*, ab editoribus Americanis in *B* recte restituta esse moneo, quae singillatim enumerare operae pretium non est.

***) Eodem spectat ipsum legis exordium, quandoquidem sine controversia *A* v. 2 *Θισβέων* cum *ὁ βουλόμενος*, non cum *χωρίον δη[μόσιον]* coniungendum est.

Frustulum *C* ne ubi latissimum quidem est plus quinta cuiusque versus parte servavit, ita ut nihil dispiciatur nisi miserae quaedam enuntiatorum laciniae: v. 1 [*πλέ*]*θρον* [*τ*]*ο*[*ῦ . . .*] v. 3 [*π*]*αρὰ τῆς πόλεω*[*ς*]. v. 4 . . . . *ίῳ καὶ τὰ ἄλλα κα . . .* v. 5 [*πραττ*]*ομένου τοῦ φόρου*. Vs. 6 [*πολ*]*είτῃ δανειστῇ* (cf. quae infra disputabuntur ad fr. *D* v. 2—5), *ὡς κα*[*ὶ . . .*]. vs. 7 [*δημ*]*οσίου χωρίου ἢ δ*[*ωρεά*]. vs. 8 [*δ*]*ημοσίου καθ' ἡμ*[*έραν*]. vs. 9 [*α*]*ὐτὸ*[*ς*] *γραφέτω*. vs. 11 *πόσον ἢ οτ . . . . .**)

Solidioribus rursus fundamentis innitimur simulac transgredimur ad fragmentum *D*. Cuius in primo quidem versu quae exstant [*τ*]*ό τε ὄν*[*ο*]*μα* [*τ*]*ο*[*ῦ . . . .*] quo referenda sint, latet, sed quae sequuntur usque ad finem huius quidem legis (v. 2—9) sic se habuisse manifestum est:

εἰ δέ τις ἐξαπατήσα[*ς τῶν*] *ὀφειλόν*[*των ξένῳ ὑποθείη | τι τῶν χωρίων τ*]*ῶν δημοσίων, καὶ τοῦτο ἐλενχθείη, ἀφαιρε*[*ίσθω αὐτὸν τὸ | χωρίον τὸ ὑποτεθὲν*] *ἡ πόλις, ὁ δὲ δανειστὴς ὁ ξένος· ἐκ τῶν ἄλλ*[*ων κτημάτων | τῶν τοῖ ὑποθ*]*έντος τὴν εἴσπραξιν ποιείσθω τοῦ ὀφειλομέ*[*νου*]. § *εἰ δέ τις* | *διαθήκ*]*αις καταλίποι ξένῳ συνγενεῖ ἢ φίλῳ τούτων τι τῶν* [*χωρίων, ἄκυρος* | *ἔστω α*]*ὐτοῦ ἡ δωρε*[*ά*], *ἔστω δὲ τῆς πόλεως τὸ χωρίον*. § *εἰ δ*[*έ τις μὴ καταλι|πὼν δια*]*θήκας τελευτήσαι, ᾧ μή εἰσιν νόμιμοι κληρονόμοι,* [*ὑ*]*π*[*αρχέτω κατ'* | *ἀμφ*]*ότερα κληρονόμος τοῦ ἑαυτῆς κτήμ*[*ατ*]*ος ἡ πόλις.***)

Hae tres paragraphi quid sibi velint in propatulo est:

1. Si quis civis Thisbensis quamlibet agri publici partem a se conductam ob aes alienum pignori opposuerit creditori p e r e g r i n o, ille agro expelletur, huic vero reliqua (privata) debitoris res familiaris pro pecunia credita obligabitur.

2. Si quis civis Thisbensis testamento facto fundum publicum a se occupatum reliquerit heredi p e r e g r i n o, testamentum rescindetur et fundus ad rem publicam redibit.

3. Si quis civis Thisbensis i n t e s t a t u s e t s i n e l e g i t i m i s h e r e d i b u s decesserit, ager publicus ab eo conductus item ad rempublicam revolvetur.***)

Iam ex his luculentissime apparet, non de locatione conductione ad certum tempus facienda hic verba fieri, sed eum qui ex his legibus fundum conserendum a republica conduxerit vel occupaverit (*τὸν καταλαβόντα*), h e r e d i t a r i u m in eo ius nancisci atque tale quidem, quod non intra naturalium et legitimorum heredum numerum contineatur, sed vel testamento ad quemlibet alium, dummodo ipse quoque civis Thisbensis sit, transferri possit. Quid quod ne oppignerari

---

*) Haec supplementa paene omnia editorum Americanorum sunt.

**) Paragraphos alteram et tertiam suppleverunt Tarbell et Rolfe, neque quicquam mutavi nisi quod v. 8 fin. ausus sum *ὑπαρχέτω* reponere, etsi nullam illi enotarunt ante *π* unius litterae lacunam. Primae paragraphi restitutio tota mea est, nam illi satis habuerunt nonnullas voces paucis litteris truncatas redintegrare: v. 4 init. *τῶ*]*ν δημοσίων*. fin. *ἀφαιρε*[*ίσθω*]. v. 4 fin. *ἄλλ*[*ων*]. v. 5. *ὀφειλομέν*[*ου*]. Praeterea v. 2 dubitantes proposuerunt *ἐξαπατήσα*[*ς τὸν*] *ὀφείλον*[*τα*], quod supplementum primo quidem aspectu omnium simplicissimum videtur, sed cum huius negotii natura pugnat. Neque enim de creditoris dolo malo, quo debitor decipiatur, hic dici potest, sed vice versa de debitore Thisbensi qui obligato fundo, quem ad alium ac civem pervenire per leges non liceat, fraudem faciat creditori peregrino. Quare genetivum partitivum ad *τις* relatum praetuli; ad *ἐξαπατήσας* creditoris notio facile subauditur.

***) Nihil aliud tertiam paragraphum sibi velle luce clarius est, etsi verba quibus legislator utitur non satis proprie et considerate posita sunt. Neque enim aut respublica heres (*κληρονόμος*) recte dicitur rei quae propter heredis defectum ad ipsam redit, neque apte '*κατ' ἀμφότερα*' adiunguntur — de quo editorum supplemento tamen reliquiae scripturae ab eis enotatae dubitari vix sinunt — quibus ni fallor ille indicare volebat, utriusque heredis, et legitimi et testamentarii, instar esse rempublicam.

quidem vetitum fuisse nisi peregrino prima ex his tribus paragraphis docet? Civi igitur obligari licebat, certis fortasse condicionibus, de quibus ni fallor fr. *C*. v. 7 accuratiora scripta erant, ubi nunc voces [*πολ*]*είτῃ δανειστῇ* agnoscuntur. Multa quidem, quae scire nostra magnopere interesset, propter mutilam lapidis condicionem ignorantur. Ac primum quidem utrum alia quoque via, veluti donatione inter vivos aut emtione venditione, fundi colendi ius ab uno cive Thisbensi ad alterum transferri licuerit necne, discerni nunc nequit, etsi licuisse mihi quidem non improbabile est. Gravior etiam alia quaestio nest: nempe ad heredem legitimum sine dubio talis fundus ipso iure transibat. At testamenti faciendi, oppignerandi, donandi, vendendi facultas utrum sine ulla cautela, nisi ut ne ad peregrinum ager perveniret, cultoris arbitrio permissa fuerit, an cum ea exceptione, si aut magistratus aut senatus aut populus Thisbensium consentiret, iure meritoque quaesiveris.

Sed utut haec se habent, certe disiecta legis membra quae ad hanc aetatem pervenerunt sufficiunt ad rem satis memorabilem cognoscendam; qua de re cum pauca verba facturus sim, arrogantiae crimen deprecor, quasi in alienam provinciam ingrediar. Neque enim me fugit, totum huius rei iudicium penes iurisconsultos esse; neque alio consilio haec scripsi nisi ut illi accurate examinatis cum tituli verbis tum meis observationibus quid verum et probabile sit statuant.

E m p h y t e u s e o s institutum, notum ex legibus et constitutionibus imperatorum Romanorum, ex parte quidem origines repetere a Graecarum civitatium iure antiquiore communis est omnium opinio, quae quum ipso nomine luculentissime comprobetur, alia argumenta circumspicere supervacaneum est. Sed in testimoniis indagandis, quibus eiusmodi negotia apud Graecos usitata fuisse demonstraretur, adhuc parum felici successu elaboratum est. Laudanda sane diligentia duumvirorum Bernardi Büchsenschützii philologi (*Besitz und Erwerb im griechischen Alterthume*, Halis 1869, p. 70) et Friderici Schulini iurisconsulti (*Geschichte des römischen Rechtes*, Stuttgartiae 1889, p. 391 sqq.). Sed quae ab illis congesta sunt, pleraque non ita comparata existimo, ut satis certum de negotii natura iudicium ferri liceat. Veluti, ut ab hoc ordiar, *ἐπικαρπίαι* inter bona publicata hermocopidarum enumeratae (Sylloges meae n. 37. 38. 40) quantum similitudinis cum Romanorum emphyteusi habuerint, in medio relinquendum est, quia de eis nihil scimus praeter nudum nomen.*) Alia agrorum locationis exempla, quae Büchsenschützius attulit (C. I. G. 2693*e*. 3561), proptera hic in censum non veniunt, quia ut ipse observat, in neutra tabula legitur, ius ab eo qui conduxit hereditate aut venditione in alium transferri posse. Porro Aristoteles personatus Oeconomicorum II, p. 1346*b* 13 quod narrat: *Βυζάντιοι δὲ δεηθέντες χρημάτων τὰ τεμένη τὰ δημόσια ἀπέδοντο, τὰ μὲν κάρπιμα χρόνον τινά, τὰ δ' ἄκαρπα ἀεννάως*, id omnino iniuria huic quaestioni immixtum est, siquidem *ἀεννάως ἀπέδοντο τὰ τεμένη* non modo per se simplicissime de venditione ipsorum fundorum intellegitur, sed haec interpretatio insuper eis quae proxime insequuntur manifesto confirmatur: nam cum scriptor dicat v. 16. 17 *ὡσαύτως* (sc. *ἀεννάως ἀπέδοντο*) *καὶ ὅσα* (*τεμένη δημόσια*) *ἐν χωρίοις ἰδιωτικοῖς ἦν· ὠ ν ο ῦ ν τ ο γ ὰ ρ π ο λ λ ο ῦ ὧν ἦν κ α ὶ τ ὸ ἄ λ λ ο κ τ ῆ μ α*, quid quaeso aliud illos impenso pretio libenter emisse existimas nisi ne alieni dominii locum intra medios suorum fundorum fines haberent? Neque maiore iure Schulinus huc traxit titulum nobilissimum, quem delubro quod Scillunte dedicaverat se appo-

---

*) In titulo Corcyraeo Sylloges meae n. 320 utrum proxeni intellegendi sint emphyteutae an usufructuarii, Schulinus ipse (p. 392) definiri non posse dicit.

suisse narrat Xenophon Anabaseos V, 3, 13: *καὶ στήλη ἕστηκε παρὰ τὸν ναὸν γράμματα ἔχουσα· Ἱερὸς ὁ χῶρος τῆς Ἀρτέμιδος. τὸν ἔχοντα καὶ καρπούμενον τὴν μὲν δεκάτην καταθύειν ἑκάστου ἔτους, ἐκ δὲ τοῦ περιττοῦ τὸν ναὸν ἐπισκευάζειν· ἂν δέ τις μὴ ποιῇ ταῦτα, τῇ θεῷ μελήσει.* Neque enim hic definitur ratio intercedens inter dominum fundi et alium hominem cui in eo fundo ius sit perpetuum et hereditarium; immo unicuique homini, ad quem post Xenophontem q u o l i b e t t i t u l o ille locus sacer perventurus sit, certa onera quae ad deae cultum spectent iniunguntur.*) Id unicuique sive civitati sive homini privato, qui in suo solo delubrum dedicaret, licuisse constat, neque paucae exstant eiusmodi leges templorum. Sed eae omnes iuris sacri sunt, non civilis. Quod omnium clarissime apparet ex tituli Xenophontei clausula, qua si quis legi obtemperare neglexerit, nulla constituitur poena, sed deae ipsius numini vindicta permittitur.

Adhuc nihil repperimus, quod ad emphyteuseos originem indagandam utile esset; neque enim usquam de fundo in perpetuum locato dici singulis testimoniis accuratius examinatis apparuit. Restat unum instrumentum a Büchsenschützio et Schulino allatum, quod primus edidit C. Wescher *Revue archéologique* XIV (1866) p. 352 sqq. (inde A. Kirchhoff Hermae II, p. 169 et nos Sylloges n. 440). Hic sane nulla de ea re potest esse dubitatio, quum v. 1—10 haec legantur: *κατὰ τάδε ἐμίσθωσαν — Κυθηρίων οἱ μερῖται τὸ ἐργαστήριον τὸ ἐν Πειραιεῖ καὶ τὴν οἴκησ[ιν] τὴν προσοῦσαν αὐτῷ καὶ τὸ οἰκημάτιον τὸ ἐπὶ τοῦ κοπρῶνος ε ἰ ς τ ὸ ν ἅ π α ν τ α χ ρ ό ν ο ν Εὐκράτει Ἐξηκίον Ἀφιδναίῳ*, itemque v. 22 sq. *βεβαιοῦν δὲ τὴν μίσθωσιν Κυθηρίων τοὺς μερίτας Εὐκράτει κ α ὶ τ ο ῖ ς ἐ γ[γ ό ν ο ι ς] α ὐ τ ο ῦ.* Sed haec ipsa tamen monstrant, quanto intervallo hoc Atticum tertii a. Chr. saeculi locationis conductionis pactum etiamtum distet a contractu emphyteutico Romanorum. Etenim ad neminem nisi ad Eucratis posteros perventurum esse ius definite enuntiatur; itaque neque testamento relinquere, neque oppignerare, neque donare aut vendere illud licebat. Multo propius sane accedit aliud institutum, quod a Schulino commemoratum non esse plane miror: etenim metalla publica populi Atheniensium iam quinto a. Chr. saeculo sic locari — aut ut Graeci loquuntur venire (*πωλεῖσθαι*) — solebant civibus, ut in sua cuique particula quam conduxerat omnia eadem iura essent atque emphyteutae in praedio emphyteutico (cf. Boeckh *Staatshaushaltung der Athener* I p. 378 n. 2). Neque tamen hoc exemplum imperatores Romani secuti esse videntur, cum quia metalla Attica eorum aetate pridem exhausta erat, tum quia neutiquam probabile est, nomen a plantando sive conserendo (*φυτεύειν*) derivatum ab eis impositum esse locationis generi in metallis aut (ut Syll. 440) aedificiis usitato. Agros vero, qui arboribus et vitibus consererentur, in perpetuum locari solitos esse apud Graecos**) ea lege ut qui conduxisset ius suum in alium transferre posset testamento, pignoris obligatione, venditione, ni plane fallor ex hac demum tabula Thisbensi cognitum est.

*) Huic igitur homini plane eadem ratio cum dea intercedit de illo delubro, quae civitati de templis publicis cum numinibus quorum illa templa sunt, veluti Atheniensibus cum Cerere et Proserpina de fano Eleusinio. Eam vero rationem omnibus nominibus diversam esse ab eis quae inter locatorem et conductorem vel inter dominum praedii emphyteutici et emphyteutam est, non opus est prolixa disputatioe demonstrare. Sane ille non dominus dicitur, quia sacri quidem loci Diana domina est; sed quoniam hoc sacrum partem modo efficit praedii Scilluntii, non dubito quin Xenophon *τὸν ἔχοντα καὶ καρπούμενον* intellexerit dominum praedii qui quaque aetate post ipsum futurus esset.

**) Graecum ius sine dubio hac tabula continetur; nam ille quicunque fuit magistratus Romanus certe leges non excogitavit neque transtulit ex iure Romano, a quo hoc locationis genus alienum erat, sed id modo praecepit, ut tunc potissimum Thisbenses hac ratione alibi iam usitata agros suos fruendos locarent.

Hanc vero antiquiorem et Graecam emphyteuseos formam*) non uno nomine discrepasse ab illa recentiore Romana per se probabile est; etenim hanc quidem non mere Graecam esse origine, sed natam ex confusa cum illo iuris Graeci instituto locatione agrorum vectigalium Romana consentiens est, quantum scio, iurisconsultorum opinio.**) Quod quoniam satis constat, ex constitutionibus imperatorum praedia emphyteutica conductori non minus arare quam arboribus conserere vel qualibet alia ratione colere licuisse, idem vero etiam in agros vectigales Romanorum cadit, admodum arridet coniectura, quam Hermannus Fitting et Maximilianus Ruemelin collegae carissimi per colloquium de hac re consulti mecum communicaverunt, nempe hoc quidem ex agrorum vectigalium iure Romano manasse, quum illa antiquior Graeca emphyteusis non spectasset nisi ad arborum et vitium culturam. Nam hoc quidem cum ex oppositis inter se verbis *γεωργεῖν* et *φυτεύειν* (*A* v. 3) tum ex toto fere partis *E B* argumento luculentissime apparet, nullo alio modo agris publicis hac lege conductis frui licuisse civibus Thisbensibus, nisi ut arbores aut vites sererent. Cuius culturae fructus quia longinquo demum spatio elapso impensas et labores cultoris remunerari solent, ei minus apta visa est locatio paucorum annorum, quae aratoribus optime conveniebat. Ac tenendum est, plerasque Graeciae regiones vini et olei multo feraciores fuisse quam frumenti, ut civitatum interesset, agros suos publicos arboribus et vitibus conserendos potius quam arandos locare.***) Aliud discrimen minoris quidem momenti quam hoc, sed tamen ipsum quoque memorabile est: namque vocabula solemnia quae in illa recentiore emphyteusi usurpantur, hic nondum comparent; immo omnia ex vetusto Graecorum sermone repetita sunt. Qui conduxit, nusquam *ἐμφυτευτὴς* vocatur, sed *ὁ λαβὼν* aut *ὁ πριάμενος*. Canonis vox, quae etsi origine Graeca est, tamen tum demum cum haec institutio in ius Romanorum reciperetur ad significandam annuam pensionem adhiberi coepta est, hic non legitur, sed antiquissimum apud Graecos de ea re vocabulum *φόρος* ubique scriptum est.†) Denique id quoque vere Graecum est, quod identidem de hoc toto negotio emtionis venditionis, non locationis conductionis vocabula usurpantur: *μεταπωλήσουσιν E B* v. 11. *πιπρασκέσθω E B* v. 14. *τῷ πριαμ[ένῳ] E B* v. 17. *πωλήσουσιν E B* v. 19.††)

*) Eandem sine dubio intellegit Ulpianus libro trigesimo quinto ad edictum (Digestorum XXVII, 9, 3, 4) cum quia illius aetate recentius iuris Romani emphyteuseos genus nondum fuisse videtur, tum quia coniuncta *ἐμφυτευτικοῦ* et *ἐμβατευτικοῦ* iuris mentio Graeca instituta hic tangi demonstrat; neque enim embateuseos vocabulum, de quo infra accuratius dicetur, usquam occurrit in iure Romano.

**) In codice Theodosiano compluribus locis commemoratur *ager vectigalis s i v e emphyteuticus* (v. indicem Gothofredi).

***) Haec ipsa causa fuisse videtur, cur proconsul ille, pro suo officio reditibus populi Thisbensium augendis et administrationi pecuniariae in meliorem statum redigendae intentus, illud edictum proponeret.

†) Multiplicem esse huius vocabuli vim nemo fere ignorat. Praeter tributa cum sociorum Atheniensium tum aliarum civitatium quae alterius imperio subditae erant, haud raro pecuniam significat, quam liberti aut servi separatim habitantes ex sui opificii quaestu domino aut patrono pendunt (cf. I. G. Sept. 3083. Meister ap. Collitz Gr. Dialektinschriften I n. 425). Sed frequenter etiam de annuo vectigali fundi locati ponitur (cf. I. G. Sept. 43), qui usus nescio an antiquior sit quam ille accuratior, ex quo contractus nomen *μίσθωσις* simul etiam de annua conductoris pensione usurpatur (Syll. I. G. 440).

††) Similiter publica (*τέλη*) Graeci vendunt (*πωλοῦσι*) et emunt (*ὠνοῦνται*); nunquam in hac re vocibus *μισθοῦν* (locare) et *μισθοῦσθαι* (conducere) utuntur. Quare non putaverim illam tituli Thisbensis consuetudinem ulla ex parte cohaerere cum controversia cuius Gaius mentionem facit Inst. III, 145: *Adeo autem emtio et venditio et locatio et conductio familiaritatem aliquam inter se habere videntur , ut in quibusdam causis quaeri soleat, utrum emptio et venditio contrahatur an locatio et conductio: veluti si qua res in perpetuum locata sit, quod*

Poteram iam hic disputandi finem facere, nisi res cum hac quaestione coniunctissima paucis certe verbis significanda videretur. Etenim apud Ulpianum libro trigesimo quinto ad edictum (Digest. XXVII, 9, 3, 4) haec leguntur: *Si ius ἐμφυτευτικὸν vel ἐμβατευτικὸν habeat pupillus, videamus an distrahi hoc a tutoribus possit; et magis est, non posse, quamvis ius praedii potius sit.* Quo loco ius ἐμβατευτικὸν quum Brissonius de verborum significatione s. v. (allato Etymologico Magn. s. v. ἐμβατεύω) interpretatus esset '*ius quod creditor in bonis sibi pignori obligatis habet, propria auctoritate ea ingrediendi*', Heineccius in additamentis suis rectissime monuit et hanc vim ab argumento loci Ulpianei alienam esse et particula '*vel*' demonstrari, non multum discriminis inter utriusque vocabuli notiones intercedere; veram iuris embateutici significatione perspici ex Hesychii glossa ἐμβατεῦσαι· τὸ κατέχειν καὶ καρποῦσθαι χωρίον ἢ οἰκίαν ἢ ὅλον τὸν κλῆρον. Cuius interpretationi simul confirmandae et aliquanto accuratius definiendae aptissima sunt tituli Thespiensis fragmenta, quae composui I. G. Sept. 1739. 1740. 1741. 1742.*) Qui titulus cum Thisbensi illo, a quo haec tota disputatio profecta est, fere quattuor saeculis antiquior sit, tamen magna ei intercedit cum hoc similitudo. Etenim illic quoque condiciones proponuntur, quibus civitas locatura est civibus partes agri non quidem publici, sed sacri Herculis; ibi quoque annui vectigalis mentio fit, accurateque praescribitur quo tempore quotannis id pendendum sit et quid fiat si conductor id facere neglexerit. Sed vocabula sollemnia illic alia sunt. Magistratus qui fundum locat, ἐμβιβάζειν dicitur conductorem, conductor ipse ἐμβαίνειν. Nomen vero substantivum quod est ἔμβασις et negotium locationis conductionis et vectigal annuum significat ambiguitate vere Graeca, quae eadem in vocabulorum μίσθωσις, ὠνή, καταδίκη aliorumque id genus usu frequentissime occurrit. Sane utrum in perpetuum locentur hi fundi, an in certum annorum numerum, discerni nequit, quia eius tabulae quae locationis leges habebat (n. 1739. Meister ap. Collitz n. 802) inferior pars periit. Reliqua fragmenta omnia ad laterculum conductorum spectant. In quo quae leguntur n. 1740 v. 5 τὰν ἄμπελον Ῥεγκίας Φιλογίτονος, ex eis colligat quispiam, hic quoque vineas et arbusta, non arva locari; sed id admodum lubricum est. Utique ἐμβαίνειν et ἔμβασις aliquando in nonnullis Graeciae partibus vocabula solemnia fuisse de quodam agrorum locationis conductionisque genere manifestum est. Iam si reputaveris, ἐμβαίνειν et ἐμβατεύειν significatione plane gemina esse, ut ἐπιμελεῖσθαι et ἐπιμελητεύειν ubique per totam Graeciam in titulis promiscue usurpantur, ut apud Boeotos ἀφεδριατεύειν in usu fuisse constat pro volgari ἀφιδρύειν (cf. Inscr. Gr. Sept. 1672 cum adnotatione), non dubitabis mecum Ulpiani *ius ἐμβατευτικόν* cum illa Thespiensium ἐμβάσει certa necessitudine coniunctum statuere. Sed id verbo indicasse sufficiet; accuratius examinabunt peritiores.

---

evenit in praediis municipum quae ea lege locantur, ut quamdiu id vectigal praestetur, neque ipsi conductori neque heredi eius praedium auferatur; sed magis placuit locationem conductionemque esse.

*) Cf. Meister ap. Collitz *Griechische Dialektinschriften* I n. 801. 802. 803. P. Foucart *Bulletin de correspondance Hellénique* IX (1885) p. 411 n. 23. p. 415 n. 24.

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

IULIUS KOESTLIN, D.

I. Publice *primam epistolam Ioanneam* interpretabitur d. Sat. h. X—XI.
II. Privatim *1) dogmatices christianae* partem posteriorem docebit quinquies p. hebd. h. IX—X.
2) evangelium Ioannis interpretabitur quinquies p. hebd. h. X—XI.
III. In seminario regio theologico *exercitationes systematicas* moderari perget d. Ven. h. VI.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, D.

I. Publice *orationem Domini montanam* explicabit d. Sat. h. X—XI.
II. Privatim *1) evangelia tria priora synoptice* interpretabitur quinquies h. X—XI.
2) priorem Pauli ad Corinthios epistolam interpretabitur quater h. IX—X.
III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Novi Testamenti* d. Iov. h. VI. *et catecheticas* d. Lun. h. VI. moderabitur.

ERICUS HAUPT, D.

I. Publice *historiam canonis Novi Testamenti* tradet d. Merc. h. VI—VII. p. m.
II. Privatim *1) theologiam Novi Testamenti* tradet quinquies p. hebd. h. VIII—IX.
2) epistolam Pauli ad Romanos interpretabitur quinquies p. hebd. h. X—XI.
3) posteriorem Pauli ad Corinthios epistolam explicabit d. Sat. h. VIII—X.
III. Privatissime et gratis *exercitationes ad interpretationem Novi Testamenti spectantes* moderari perget d. Ven. h. VI—VIII.

HERMANNUS HERING, D., Decanus.

I. Publice *selecta capita ex fontibus liturgicis* interpretabitur d. Sat. h. VIII—IX.
II. Privatim *1) theologiae practicae partem alteram* tradet quinquies h. VIII—IX.
2) historiam sermonum ecclesiasticorum enarrabit d. Mart. et Iov. h. III—IV.
III. In seminario regio theologico *exercitationes homileticas* d. Lun. et Mart. h. VI, *proseminarii homiletici* d. Iov. h. VI moderabitur.

MARTINUS KAEHLER, D.

I. Publice *Petri epistolam priorem practice* interpretabitur d. Merc. h. XII.
II. Privatim *1) theologiam symbolicam s. polemicam* docebit quinis p. hebd. horis, h. XI—XII.
2) epistolam ad Hebraeos datam quaternis p. hebd. h. exponet h. XII—I.
III. Privatissime et gratis *societatis Novi Testamenti interpretationem spectantis exercitia* moderari perget d. Ven. h. VI.

AEMILIUS KAUTZSCH, D.

I. Publice *historiam textus Veteris Testamenti* exponet d. Merc. h. III—IV.
II. Privatim *1) Psalmos* interpretabitur quaternis p. h. scholis h. III—IV.
2) introductionem in Vetus Testamentum tradet quinquies h. IV—V.
III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Veteris Testamenti* moderabitur d. Iov. h. VI.

FRIDERICUS LOOFS, D.

I. Publice ex instituto Lenziano *de libris apocryphis et pseudepigraphis Veteris Testamenti* disseret d. Merc. h. IX et d. Sat. h. XI—I.
II. Privatim *1) historiae ecclesiasticae partem II* enarrabit quinis p. h. scholis h. XI—XII.
2) historiam dogmatum adumbrabit quinquies p. hebd. h. XII—I.
III. In seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderari perget d. Merc. h. VI.

b. Professorum extraordinariorum.

ALBERTUS EICHHORN, Lic.

I. Publice *historiam papatus* enarrabit d. Sat. h. XI—XII.
II. Privatim *historiae ecclesiasticae partem primam* tradet quinquies p. hebd. h. XI—XII.

GUILELMUS ROTHSTEIN, Lic. Dr.

I. Publice *libros Threnorum et Cantici canticorum* interpretabitur d. Sat. h. VIII—IX.
II. Privatim *1) Iesaiae partem priorem (capp. 1—39)* interpretabitur quinquies p. hebd. h. III—IV.
2) theologiam Veteris Testamenti docebit quinis p. h. scholis h. IV—V.
III. Privatissime et gratis *exercitationes exegeticas instituet iisque qui aderunt selecta libri Ieremiae capita* tractanda proponet d. Merc. h. VI—VIII.

c. Privatim docentium.

THEODORUS FOERSTER, D.

I. Publice *historiam partium a consensu fidei evangelicae discrepantium* enarrabit bis p. h. d. Lun. et Iov. h. IX—X.
II. Privatissime et gratis *societatem historicam* moderari perget d. Lun. h. V—VI.

HERMANNUS GUNKEL, Lic.

I. Publice *de moribus et doctrina prophetarum Veteris Testamenti* disseret d. Sat. h. XI—I.
II. Privatim *elementa Veteris Testamenti tironibus* exponet quinquies p. hebd. h. IV—V.
III. Privatissime et gratis *libros Tobit et Iudith* interpretabitur d. Iov. h. VI—VIII.

IOANNES FICKER, Lic. Dr.

I. Publice *historiam artis christianae antiquae* tractabit d. Merc. h. II—III.
II. Privatim *historiae ecclesiasticae partem primam* enarrabit quinquies p. hebd. h. XI—XII.

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

HERMANNUS FITTING, Dr.

I. Publice *historiam iurisprudentiae litterariam* enarrabit d. Merc. h. XI—XII.
II. Privatim *1) pandectarum partem II., i. e. ius familiarum et hereditarium*, docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII—I.
2) doctrinam de concursu creditorum secundum ius imperii Germanici exponet d. Merc. et Sat. h. XII—I.
3) exercitationes processus civilis moderabitur d. Sat. h. X—XII.

ALFREDUS BORETIUS, Dr.

Propter valetudinem permissu superiorum scholas non habebit.

GUSTAVUS LASTIG, Dr., Decanus.

I. Publice in seminario juridico *leges iuris cambialis Germanicas* interpretabitur d. Merc. h. X—XI.
II. Privatim *1) ius commerciale* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X—XI.
2) ius Borussicum privatum tradet quinquies p. hebd. h. XI—XII.
3) exercitationes iuris Germanici privati et iuris commercialis coniunctim cum Prof. Dr. Huber moderabitur d. Lun. h. V—VII.

FRANCISCUS ED. De LISZT, Dr.

I. Publice *de propugnandis criminibus* disseret d. Ven. h. VII—VIII p. m.
II. Privatim *1) ius gentium* docebit d. Merc. et Sat. h. VIII—IX.
2) ius criminale tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII—IX.
III. In semin. crim.: 1) privatim *exercitationes iuris criminalis practicas* instituet d. Iov. Sat. h. VI—VIII.
2) privatissime *quaestionum criminalium* tractationem moderabitur.

EDGARUS LOENING, Dr.

I. Publice *ius opificum et operariorum* docebit d. Merc. h. V—VI.
II. Privatim *1) ius ecclesiasticum cum catholicorum tum evangelicorum* docebit quaternis p. h. scholis h. IV—V.
2) ius administrationis Borussicae quaternis p. hebd. scholis tradet h. XII—I.
3) exercitationes iuris administrationis instituet d. Mart. h. V—VII.

FRIDERICUS SCHOLLMEYER, Dr.

I. Publice *de Romanorum ordine iudiciorum privatorum* disseret d. Merc. h. X—XI.
II. Privatim *processum civilem imperii Germanici* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX—X.

RUDOLFUS STAMMLER, Dr.

I. Publice *de iuris constituendi rationibus philosophicis recentiorum* disseret d. Ven. h. VI—VII.
II. Privatim *1) ius pandectarum* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. Sat. h. X—XI, Lun. Merc. Iov. Sat. h. XI—XII.
2) exercitationes ad pandectas pertinentes in usum tironum instituet d. Mart. et Ven. h. XI—XII.

EUGENIUS HUBER, Dr.

I. Publice *in seminario iuridico speculum Saxonicum* interpretabitur d. Iov. h. V—VI.

II. Privatim *1) ius Germanicum privatum* tradet d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI—XII.
2) ius publicum tam imperii quam statuum Germanicum tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII—I.
3) exercitationes iuris Germanici privati et iuris commercialis coniunctim cum Professore Dr. Lastig moderabitur d. Lun. h. V—VII.

b. Professoris ordinarii honorarii.

GUILELMUS A BRUENNECK, Dr.

I. Publice *historiam legum Borussicarum*, quae ad emendandam formam reipublicae et iuris annis 1807—1815 latae sunt, tradet d. Lun. h. V—VI.

II. Privatim *historiam iuris Germanici* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX—X.

c. Professoris extraordinarii.

MAXIMILIANUS RUEMELIN, Dr.

I. Publice *historiae iuris Romani primam partem (de fontibus iuris Romani et iurisprudentia Romana)* tradet d. Ven. h. XII—I.

II. Privatim *1) institutiones iuris Romani* exponet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI—XII d. Merc. h. X—XI.
2) exercitationes in usum tironum scholarum suprascriptarum ordinem secutus instituet d. Merc. et Sat. h. XI—XII.
3) exercitationes pandectarum practicas moderabitur d. Mart. h. V—VII.
4) de iure ad res oeconomicas pertinente disseret d. Lun. Mart. Iov. h. X—XI.

d. Doctorum privatim docentium.

ADOLFUS ARNDT, Dr.

Gratis *de constitutione status Borussici* disseret d. Merc. h. XII—I.

THEODORUS NIEMEYER, Dr.

I. Gratis *de collisione quae dicitur statutorum (ius internationale)* disseret d. Sat. h. IX—X.

II. Privatim *1) exercitationes pandectarum exegeticas* moderabitur d. Merc. h. V—VII.
2) historiae iuris Romani alteram partem tradet d. Lun. Mart. Iov. h. XII—I.

ALEXANDER LEIST, Dr.

I. Privatim *exercitationes ad historiam iuris Romani pertinentes cum lectione institutionum Gai* coniunget d. Mart. Ven. h. IX—X.

II. Privatissime *conversatorium iuris Romani* instituet trib. horis p. def.

III. Gratis *de legibus imperii Germanici, quae ad ius civile spectant,* disseret d. Mart. Ven. h. X—XI.

III. Scholae Medicorum.

a. Professorum ordinariorum.

LUDOVICUS KRAHMER, Dr.

I. Publice *artem formulas medicas scribendi* tradet d. Merc. et Sat. h. IX—X.

